Epistula beati Pauli apostoli ad Philemonem

1
Paulus vinctus Iesu Christi et Timotheus frater Philemoni dilecto et adiutori nostro
2
et Appiae sorori et Archippo commilitoni nostro et ecclesiae quae in domo tua est
3
gratia vobis et pax a Deo Patre nostro et Domino Iesu Christo
4
gratias ago Deo meo semper memoriam tui faciens in orationibus meis
5
audiens caritatem tuam et fidem quam habes in Domino Iesu et in omnes sanctos
6
ut communicatio fidei tuae evidens fiat in agnitione omnis boni in nobis in Christo Iesu
7
gaudium enim magnum habui et consolationem in caritate tua quia viscera sanctorum requieverunt per te frater
8
propter quod multam fiduciam habentes in Christo Iesu imperandi tibi quod ad rem pertinet
9
propter caritatem magis obsecro cum sis talis ut Paulus senex nunc autem et vinctus Iesu Christi
10
obsecro te de meo filio quem genui in vinculis Onesimo
11
qui tibi aliquando inutilis fuit nunc autem et tibi et mihi utilis
12
quem remisi tu autem illum id est mea viscera suscipe
13
quem ego volueram mecum detinere ut pro te mihi ministraret in vinculis evangelii
14
sine consilio autem tuo nihil volui facere uti ne velut ex necessitate bonum tuum esset sed voluntarium
15
forsitan enim ideo discessit ad horam a te ut aeternum illum recipere
16
iam non ut servum sed plus servo carissimum fratrem maxime mihi quanto autem magis tibi et in carne et in Domino
17
si ergo habes me socium suscipe illum sicut me
18
si autem aliquid nocuit tibi aut debet hoc mihi inputa

19
ego Paulus scripsi mea manu ego reddam ut non dicam tibi quod et te ipsum mihi debes
20
ita frater ego te fruar in Domino refice viscera mea in Domino
21
confidens oboedientia tua scripsi tibi sciens quoniam et super id quod dico facies
22
simul autem et para mihi hospitium nam spero per orationes vestras donari me vobis
23
salutat te Epaphras concaptivus meus in Christo Iesu
24
Marcus Aristarchus Demas Lucas adiutores mei
25
gratia Domini nostri Iesu Christi cum spiritu vestro amen.